AUGUSTO MEINEKIO

VIRO SUMMO

OB

GYMNASIUM REGIUM IOACHIMICUM

PER QUINQUE LUSTRA

OPTIME ET PRAECLARE GUBERNATUM

Calendis Iuliis MDCCCLI

GRATULANTUR

Gymnasiorum Berolinensium praeceptores societate iuncti.

Inest F. Rankii de Xenophontis vita et scriptis commentatio.

Felicem, Meineki, vitam Tuam hunc usque ad diem fuisse et in singulari dei optimi maximi tutela positam, eorum qui Te norunt, quis compertum non habeat? Iam enim quum puerulus esses, ab optimis parentibus diligentissime educatus Ilgenioque viro vere eximio reliquisque praeceptoribus scholae Portanae dilectissimis traditus, prima ingenii laudisque futurae ostendisti indicia, ita ut hoc ipso tempore, quo Christianum filium carissimum eadem in castra misisti, quae est istius scholae consuetudo pergrata, nomen Tuum nondum emortuum sit, sed iuvenili venerationi a praeceptoribus commendatum. Quum vero Portae decus aliquamdiu fuisses, et per paucos annos Hermanni philologi celeberrimi esses auspiciis Lipsiae nutritus, praeter morem adolescentulo Professoris munus honestissimum Tibi delatum suscepisti eaque quam augurati fuerant virtute administrasti. Vix autem virilem aetatem attigeras, quum iam regendum Tibi Gymnasium laudatissimum, quod Gedani est apud Borussos, traderetur. Quod quum per annos aliquot gubernasses et ad florem praeclarum evexisses: summa exspectatione, qui apud nos rebus scholasticis praesunt, Berolinum Te vocarunt, ut in urbis regiae splendore in schola celebratissima omnes facultates Tuas virtutesque monstrare et probare posses. Quod quidem quam feliciter evenerit, quinque haec lustra solis luce clarius aperuerunt, per quae summos honores Tibi et domi et apud exteros oblatos esse, et quod pluris est, ut discipulorum reverentiam et collegarum coniunctissimorum amorem, ita prudentium doctorumque virorum omnium plausum Te assecutum esse, nos ipsi testamur. Nec schola solum, sed studia etiam humanitatis, quae scholarum nostra-

rum nervos et robur, ut hactenus fuerunt, ita futuro etiam tempore esse ut qui maxime Tecum speramus, Te semper fautorem summum et decus praestantissimum habuerunt.

Hunc igitur diem, vir summe, Tibi illuxisse, quo ante haec quinque lustra Berolini Gymnasium regium Ioachimicum regere coepisti, Tecum plurimi homines maxime gaudent. Neque nos Tibi desumus amico venerando amici, quorum societati a primo eius initio adscriptus fuisti. Nam quum officium amicorum sit et sociorum, si suos aut infelices esse aut prosperitate frui animadverterint, ut aut gaudiorum aut dolorum participes esse velint: hodiernae laetitiae Tuae interesse et nostram amicitiam Tibi testificari vehementer desideravimus.

Restat unum, ut votis ex intimo pectore Te prosequamur, Meineki, vir summe. Faxit deus, ut quae Tibi sunt data, omnia Tibi ac diu quidem conserventur. Perge scientiae Tuae thesauros inter familiares aeque atque inter viros doctos aperire et explicare. Per longum tempus et humanitate Tua et moribus suavissimis omnibus exemplo esse ne desinas. Fruere otiis, quae Deus Tibi dedit, ita ut simul negotiis omnibus Tuis, ut hactenus, satisfacias. Esto cum uxore dulcissima, cum filiis filiabusque carissimis, cum generis doctissimis praeclarissimisque, immo cum omnibus Tuis, quorum salus tibi cordi est, felix et dei auxilio, sine quo nihil est in hoc orbe terrarum boni et eximii, contra omnes res adversas munitissimus. Vale.

Xenophontis libris quum permulta accepta referamus scitu utilissima, tum nihil quod pluris aestimandum sit, quam vitae et virtutis ipsius scriptoris imaginem, si non ab omni parte plenam ac perfectam, ita tamen comparatam, ut in intimum pectus ejus insinuare nos possimus. Licet autem omnes in eo consentire soleant, quaecumque scriptores composuerint, ex iis aliquatenus certe ipsorum simul indolem ac naturam apparere: tamen de Xenophonte vel plurimum haec sententia valere videtur, cuius scripta cum viri vita ad unum omnia accuratissime cohaerent. Atque hoc nobis pergratum videri debet. Quae enim aliunde de eo accepimus, manca sunt et plerumque multis dubitationibus obnoxia; ipse quae scripsit omnia certam istam, quae huic homini eximio peculiaris est, sentiendi iudicandique rationem repraesentant, ut ingenii eius formam ubique facile cognoscas. Ac feliciter illud evenit, quod quum tot libri praestantissimi illius aetate scripti perierint, Xenophontis volumina, nullo quantum scimus excepto, quae antiquitas nomini eius adscripsit, aetatem tulerunt. Non pendet igitur hac quidem in caussa ab opinionibus veterum nostrum iudicium, sed quum ipsis nobis omnia legere et perquirere liceat, nostram sententiam interponere permissum erit.

Quo anno natus et mortuus sit quibusque temporibus res singulas gesserit aut libros suos ediderit, non sine magna diligentia et doctrina nostrates demum evincere studuerunt [1]), sed qualis universe vitae cursus eius fuerit, ex Anabasi potissimum cognoscitur, quam Themistogenis Syracusii nomine edidisse fertur. Quo ex libro haec fere discimus. Adolescentiam Athenis in urbe patria peregit, Socrate usus amico et rerum gerendarum auctore [2]). Deinde quum ad aetatem maturam accessisset, Proxeni amici caussa ad Cyrum, Artaxerxis regis Persarum fratrem,

---

1) Kruegerus, de vita Xenophontis. 1822.
2) Anab. III. 1. 4.

se contulit, huic contra regem pugnanti adfuit, eoque occiso, copias Graecorum, quos Cyrus mercede conduxerat, comitatus, salutis iis et reditus in patriam unus solus fuit auctor. Qua re feliciter confecta, quum domum reversurus esset, comperit se exilio esse ab Atheniensibus mulctatum [3]), quo facto sese Agesilao Spartanorum regi adiunxit, cum eo in Graeciam rediit, pugnae ad Coroneam interfuit, posteaque beneficio Lacedaemoniorum Scillunte in Elide vixit ibique Artemidi Ephesiae aram templumque condidit et dies festos instituit [4]). Ea autem omnia non tam ab ipso gesta, quam a diis quodammodo administrata sunt, quorum suasu et iussu singula quaeque perfecit, quippe qui in rebus ad futurum pertinentibus suo ipsius vel aliorum hominum consilio nunquam confidere solitus fuerit. Dividitur autem hac ratione vita eius in tres fere partes. Acta enim est primum in urbe patria; deinde rebus bellicis fuit occupata, quum Cyrum adiuvaret, copias mercenarias servaret et Agesilai comes ac socius esset; denique vero Xenophon otio abundavit, quo per ultimos vitae annos ita fruebatur, ut libros scriberet, quibus sui ingenii vestigia diligentissime impressit. Has igitur partes singulatim pertractabimus.

Quae adolescenti Xenophonti evenerint, praeter rumores incertos incognitum est; unum autem notissimum, idque summi ponderis, quod Socratis senioris in amicitiam societatemque receptus est. Ex cuius consuetudine quae et quanta commoda hauserit, gratissimo animo semper professus est: imprimis vero tribus in libris patefecit, quos post reditum ex bello Asiatico composuit, et his nominibus inscripsit, *Ἀπομνημονεύματα, Οἰκονομικός, Συμπόσιον* [5]), quibus ex libris, quanto fervore Socratis amicitiam persecutus quantoque amore et quanta admiratione virum amplexus fuerit, intelligitur. Nam multos profecto Socrates habuit discipulos, qui nusquam ab ejus latere discederent [6]), sed Xenophonte amantiorem fidelioremque nullum invenit, qui non solum sermonibus magistri lubentissime intererat, doctrinamque ejus toto animo imbibebat, sed aliis rebus omnibus neglectis, unum optabat et acerrimo studio persequebatur, ut vitam vere Socraticam et ipse degeret et aliis degendam commendaret. Iam quum sciamus, Socratis amicos diversis modis a plurimis hominibus irrisos et impugnatos esse [7]), ex hac ipsa re colligimus, Xenophon-

---

3) Anab. VII. 7, 57. Krueger, histor. philol. Studien I. 231. sqq.

4) ib. V. 3, 6.

5) Non nominavi Apologiam Socratis quae dicitur, quoniam hunc libellum cum plerisque nostratium Xenophonti adscribere non audeo. Clarum est jam ex epistolis, quae Xenophontis nomen mentiuntur, fuisse, qui sua huic scriptori supponere se posse crederent. Idemque ex hac Apologia apparet, quae post commentarios maiores, quos supra appellavi, nihil esset nisi Ilias post Homerum. Descripsit imitator et invertit verba Xenophontis, Socratemque misere superbientem induxit et profecto ridiculum. Sed quid repetam, quae jam a pluribus confecta esse quivis videt?

6) ut Cebetem et Simmiam, Apollodorum et Antisthenem Mem. I. 2, 48. III. 11, 17.

7) Non solum patet hoc ex comoediis Aristophanis aliorumque, sed ex ipso Xenophonte. Mem. IV. 2, 3.

tem prae virtutis studio reliqua omnia contempsisse et si modo viro isti praeclarissimo quam simillimus fieret, etiam mala perferre paratissimum fuisse. Aeterno autem hoc scriptori nostro honori erit, quod iam prima adolescentia virum summum, quem posteritas demum vere aestimare didicit, summo amore complexus est, et omnium, qui illa aetate celebrari solebant, doctorum iuventutis praestantissimum iudicavit sibique vitae ducem elegit. Ille enim quoniam vir est immortalis, Xenophon quoque, discipulus eius venerantissimus, honorum magistri aliquatenus particeps omnibus saeculis videbitur. Atque hoc arctius est vinculum, quo cum Socrate Xenophon iunctus videtur esse, quia in illius institutione ita hic acquievit, ut in rebus certe philosophicis nulli praeterea praeceptori operam daret. Nam quod Prodici dicunt [8]) eundem auditorem fuisse, primum maxime incertum est, quoniam unius in Philostrati testimonio nititur, deinde vero si probabile esset, nihil mutaret. Ex ipso enim Xenophonte intelligimus, qua ratione Prodici doctrinam cum Socratica necti posse putaverit, quippe qui utrumque in virtutis studio et commendatione easdem leges secutum esse censeat. Xenophon adeo ipse Herculi similis sibi Prodiceo videri potuit seque uni Virtuti duce Socrate edocendum tradidit, cuius leges per totam vitam fidelissime secutus est.

Urbem patriam quum relinqueret Xenophon, Socrates ut solitus ex multis annis fuerat, cum amicis simul et vivebat et disserebat; quum vero ex Asia rediisset, ab Atheniensibus iisdem, quibus omnem ingenii vim virtutemque impenderat, erat damnatus vir sapientissimus pulcherrimamque obierat et honestissimam mortem. Quid mirum, quod is, qui vitae leges ab ipso magistro praescriptas sanctissime coluerat iisque tamquam divinis oraculis obtemperaverat, eaque ratione, ut sibi videbatur, ad felicissimum omnia perduxerat exitum, quod is, inquam, Socratis videndi et cum eo colloquendi summo desiderio trahebatur? Nec desunt loci, in quibus ipse magistri absentis hanc recordationem iucundissime attigit [9]). Erat igitur idem hoc desiderium in caussa, cur plures libellos in eius honorem componeret, quippe quum optime hoc modo pulcherrimeque cum praeceptore dilectissimo, ut antea consueverat, posset conversari. At accedebant aliae caussae. Illius enim accusatores quum coram iudicibus vicissent, ne species falsa praeceptorem opprimeret, discipulorum erat in officiis, quae ipsi viderant et audierant, publice profiteri. Erant enim crimina ei immerito obiecta eluenda; describenda erat vitae eius consuetudo simpliciter et vere; erat ingeniosissimi viri imago coloribus quantum fieri poterat verissimis depingenda; erat si non hominibus istius aetatis, posteritati certe consulendum [10]). Id vero eo cupidius Xenophon sumpsisse sibi putandus est munus

---

8) Schneider ad Exp. Cyri, II. 6. 16. et ad Memor. II. 1, 21.
9) Memor. IV. 1, 1. 8, 11.
10) ib. IV. 8, 10.

dulcissimum, quod longe plures vera virtutis facie proposita ad meliorem vitam eligendam incitari posse videbantur, ut Socrates, quamquam inter vivos esse desierat, libris discipulorum editis, negotio sibi ab Apolline tradito satisfacere pergeret. Denique illud etiam Xenophontem commovit, quod iam alii susceperant eandem rem [11], nec tamen omnes ea ratione, quae videbatur veritati ab omni parte respondere, perfecerant, a quibus ne Graeci seducerentur, suam qui accuratissime omnia cognoverant, sententiam proponere debebant. Cogebant igitur Xenophontem, ut Commentarios de Socrate ederet, viri amor virtutumque eius admiratio, desiderium, ut quam plurimi re cognita vitam suam ex decretis Socratis administrarent, opinionum denique et commentorum de Socrate reprimendorum correctio, veritatis confirmatio.

Neque tamen res erat sine difficultatibus. Non solum enim magnum temporis spatium erat praeteritum, ex quo Xenophon virum desideratissimum non vidisset; verum etiam non otiosus interea ille, sed summis rebus gerendis implicitus fuerat [12]. Itaque quum tam infirma esse hominum memoria soleat, ut etiam quae penitus perspexerimus aut accuratissime contemplati simus aut summo audiverimus studio, sensim, si non prorsus evanescere, tenebris certe in dies maioribus obrui sentiamus: nemini mirum videri queat, si Xenophon humani aliquid passus rerumque multarum, quas duce Socrate et viderat et audierat, oblitus fuerit. Hinc ipse non omnia quae gesta aut dicta sint, sed ea tantummodo, quae memoria retinuerit, se narraturum esse pollicetur, *γράφω*, ait, *ὁπόσα ἂν διαμνημονεύσω* [13]; idemque nomine *Ἀπομνημονευμάτων* significare voluit. Accedit quod sermones erant repetendi, non rerum gestarum memoria instauranda. Itaque res esset inter miracula mentis humanae referenda, si quis post plures annos, vitaque non in otio aut in umbra scholae, sed publice et inter milites acta, ad verbum ea repetere potuisset omnia, quae a Socrate eiusque et sodalibus et adversariis aliquando dici audiisset.

Non est igitur negandum, Xenophontem, si in usum suum Socratis sermones perscripsisset, priusquam expeditioni Cyri Agesilaique bello interfuisset [14], immo si quasi excepta illa ex ore et sermone Socratis dare potuisset, accuratius singula quaeque redditurum fuisse. Quamquam aliud inde, quod hoc non accidit, commodum natum est. Sententia enim Xenophontis, quam de Socrate ceperat, vitae usu iam corroborata erat. Nam quoniam ex Socratis disciplina progressus sine mora imperatoris vere magni laudem nactus erat, virosque eximios et ab omnibus laudatos cognoverat, quorum vitae ratio a Socratis praeceptis non magnopere rece-

---

11) Memor. I. 3, 1. IV. 3, 2.

12) ib. I. 3, 1. Oeconomicum et Convivium post librum maiorem Xenophon edidit, ut exordia ostendunt, in quibus ne nomen quidem Socratis invenitur.

13) cf. Brandis, Grundlinien der Lehre des Socrates. Rhein. Mus. I. p. 123.

14) quod Weiskius infeliciter ex Diogene Laertio colligere posse sibi videbatur. Vol. I. p. XXIV. Schneiderus autem refutavit.

dere videbatur, Cyrum et Agesilaum: multo ille confidentius loqui poterat, eoque maiorem fidem merebatur, quod quae dicenda habebat, non adolescentuli erant in scholae gremio delitescentis meritisque nullis ornati, sed viri laurea imperatoria conspicui verba. Veram esse Socratis doctrinam utilissimamque cum viro summo consuetudinem, expertus erat Xenophon famaque sua, quam inde nactus erat, totam Graeciam iam impleverat. Tam firma propterea animi eius fuit persuasio, ut labefactari illa minuique nulla ratione posset. Iamque illud, de quo antea dictum est, vim aliquam exercuit. Nam quoniam uni Socrati adhaeserat, eique omnem suam vivendi sentiendique rationem acceptam referebat, ab hoc certe vitio quam maxime alienus erat, ut aliorum hominum placita Socraticis addere et immiscere potuisset. Conferebat Cyrum, Agesilaum omnesque, quorum in historia Graeca meminit hominum; conferebat Lacedaemonios, Persas aliosque populos; immo quidquid accuratius cognoscendi occasione fruebatur, cum Socrate eiusque et doctrina et vita conferebat. Quibus vocibus praeceptor uti consueverat, — *ἀρετή, καλοκαγαθία, εὐσέβεια, ἐγκράτεια* — eas ubique repetebat, neque diversus a Socrate [15]) aliorum de his rebus taedium nihili aestimabat. Qua disserendi arte Socrates hominum amorem et admirationem sibi paraverat ipsumque et alios multos adolescentes ad virtutem exercendam permoverat, eam ipse per totam vitam exercere nunquam desiit. Uti vero hunc imitari potissimum sibi proposuerat magistrum, ita reliquos, quos iam eodem duce contemnere [16]) didicerat, ab omni parte negligebat. Itaque Xenophontis libris si tanquam fonte doctrinae Socraticae utimur, hoc quidem constat, limpidissimum illum esse nec aliorum inventis admistis ullo modo turbatum. Contra quum Athenas raro Socrates reliquisset, Xenophon autem magnam terrae partem permigrasset eiusque cognovisset naturam, et quaecunque addisceret, cum Socraticis vel sine certa eius rei animi conscientia coniungere consuevisset: facile fieri poterat, ut quae ipsius ingenio non Socrati deberentur, ea Socraticis immisceret et praeceptori traderet.

Neque propterea veritatis amorem eius attrectare aut magnam culpam ei attribuere poterimus; immo quum nihil nisi vera profiteri voluerit, ei ignoscendum esset, si humanae debilitati obnoxius, interdum suam potius, quam Socratis sapientiam nobis propinavisset. Rarissime tantum in his libris suam ipsius sententiam verbis expressis interposuit; ubicunque vero hoc fecit, ita semper omnia instituta esse animadversum est, ut quae de se disserat, a Socraticis non differant [17]). Reprehendit autem nunquam Socratis vocem aliquam nec in sententia aliqua ab eo recedit; quod quidem eo minus negligendum est, quia multa etiam ex vita communi

15) Memor. IV, 4, 6.
16) ut Anaxagoram IV. 7, 6. physicosque philosophos I. 1, 11.
17) ut I, 2, 10, 17, 19.

afferuntur, ut iam saepissime adnotatum est, quae speciosa magis, quam vera sunt, quaeque omnino non possunt probari. Inde recte, nisi fallor, colligitur, Socratis sapientiam omnem, quam apud Xenophontem invenimus, esse ab hoc discipulo plausu acceptam. Alterum contra non poterit demonstrari, Socratis esse omnia, quae ex eius ore nobiscum communicentur. Ita si Socrates in colloquio celeberrimo, quod cum Periclis filio habuisse dicitur[18]), postremo addit, Atticos fines optime ab adolescentibus leviori armatura usis contra Thebanorum incursiones tutos reddi posse, eamque ad rem demonstrandam Mysorum Pisidarumque exemplum affert, qui leviter armati Persarum imperium infestare suamque libertatem tueri soleant: non posse ea apte inter se conferri per se patet. Iam si Xenophon eosdem populos in Anabasi eandem ob causam commemorat, ut Graecorum exercitibus ostendat etiam medio in Persarum regno versantibus nihil esse timendum, suis dummodo viribus utantur[19]): ibi ea optime rectissimeque proferuntur, quae in Socratis sermone nimis longe repetita et parum commoda sunt. Multo igitur probabilius est, haec Xenophonti, quam Socrati in mentem venisse. Alius generis est locus in Oeconomico[20]), quo de Persici regis agriculturae artisque bellicae studio, Cyrique minoris, quem regem appellat, expeditione et morte, Lysandrique cum Cyro colloquio multa verba facit, quae in Socratis quidem mentem venire nunquam potuerunt. Permirum profecto, quod ipse Xenophon haec sese audivisse a Socrate profitetur[21]). Haec igitur consilio esse instituta et a sciente et volente scriptore admissa, nemo negaverit, ut pateat, in Oeconomico certe Xenophontem ne occultare quidem voluisse, Socratem disserentem ipsius usum esse thesauris, multo labore et periculo paratis. Nec vero ita nobis iudicari potest, ubi de partibus philosophiae sermonem instituebat, quibus tum parum Xenophon favit, ut in iis quidem novare quidquam Socratique tamquam mercedem aliquam disciplinae referre neque voluerit neque potuerit. Id quidem Platonis fuit divino ingenio permissum; apud Xenophontem Socrates ut nihil nisi quae humana essent, tractare audebat[22]), ita suam persequitur virtutem, quam summo studio et admirando fervore exercuit; moribus optimis se toto animo dedit, pietatem, temperantiam, iustitiam coluit, plurima scitu dignissima imprimis artem dicendi, artemque imperatoriam inter principes omnium temporum Socrate suasore et auctore usus didicit; a physica autem philosophia mirum quantum abfuit.

Mirum est profecto, quod in libris omnibus de Socrate scriptis se quidem

---

18) Mem. III, 5.

19) Anab. III, 2, 24.

20) Oec. 4, 4 sqq.

21) Oec. I, 1. Non nego vero, dubitationis hanc esse causam, utrum vere hic libellus a Xenophonte scriptus, an ab alio quodam suppositus sit. Vel possit locus iste male intrusus esse. Sed ab initio usque ad finem tam aperta est Xenophontis manus, ut nihil nisi quod supra dixi, proponere audeam.

22) Memorab. I, 1, 11 sqq.

semel tantummodo colloquentibus addidit, idque statim ab initio Commentariorum[23]), neque iterum postea. Qui enim Ἀπομνημονεύματα scribere suscipiebat, nonne eum exspectari poterat de se imprimis locuturum suumque cum Socrate commercium descripturum esse? Nonne enim ea, quae ipsi cum aliquo homine collocuti sumus, facillime memoria retinemus? At Xenophon in plerisque sermonibus se affuisse quidem dicit, sed mutum ubique et auditorem modo. Neque alii scriptores, qui Socraticos sermones ediderunt, saepe Xenophontis mentionem fecisse videntur. Excepto enim colloquio Socratis et Aspasiae cum Xenophonte eiusque uxore habito, quod Aeschines enarraverat[24]), exceptisque incertis nonnullis rumoribus[25]), nihil nobis cognitum est. In Platone vero, ut notissimum est, ne nomen quidem Xenophontis reperitur[26]). Qua de re quomodocunque iudicandum est, id quidem ex Xenophontis narratione patet, ab arte militari et imperatoria non esse eum a praeceptore prohibitum. Ut philosophiae studiis se traderet, consiliatus eidem non est Socrates, sed ad vitam bene et ex praeceptis suis gerendam eum felicissimo successu incitavit. Unde simul cognoscitur, in adolescentium indole et natura iudicanda Socratem sapientissimum fuisse, idque verissime esse a Xenophonte dictum[27]).

Recte igitur, nisi fallor, sex istos Xenophontis de Socrate Commentarios legimus, si praeter cetera Xenophontem in iis quaerimus, si indagamus, quae studia adolescentem aluerint, quibus rebus animum exornare cupierit, quam utilitatem ex Socratis usu et consuetudine acceperit. Ac profecto optimi moribusque et ingenio ornatissimi hominis imago hoc quasi ex speculo prodit eaque et veneratione nostra et iuventutis imitatione dignissima, ut non possim cum Dissenio consentire, qui ex scholis hos de Socrate libros ut eiiceremus, quo minus suaderet, vix se cohibuit[28]). Quod ut patefiat, non debemus vulgarem istum errorem hominum apud unum omnes virtutes quaerentium admittere, sed quale proprium ipsi ac peculiare donum divinitus datum et ipsius diligentia excultum sit, indagare. Ac primum quidem praeclaro Xenophon dicendi genere ab antiquitate ad nostrum usque saeculum omnes paene, qui eius libros attigerunt, sibi conciliavit et ad summam admirationem rapuit. Ea laus ex parte quidem urbis et patriae, ex parte vero etiam ipsius est viri praestantissimi, qui quae patria afferebat commoda, iis diligentissime usus est. Nec Socrates merito suo fraudandus est, qui sermonibus suis, iucundissimis istis nec afflatu

23) Memorab. I, 3, 8 sqq. Ubi Xenophon eum non nominavit, quocum Socrates collocutus fuerit, ut III, 1, interdum possis de ipso scriptore cogitare. Sed haec coniectura ut esset periculosa, ita est inutilis.

24) Cic. de invent. I, 31.

25) ut apud Diog. Laert. de vita Xenoph. § 2.

26) Boeckh. de simultate, quam Plato cum Xen. exercuisse fertur p. 20 sq.

27) Memorab. IV, 1 saepius et per totum librum.

28) Kl. latein. und deutsche Schriften p. 59 sqq.

divino carentibus effecit, ut orationis pedestris novum genus nasceretur, quod cum omnibus Socraticis[29]) Xenophon quoque, sed is praecipua laude excoluit. Apud hunc enim, id quod maximum est, rerum traditarum indoles cum dicendi ratione mirifice convenit; mite ubique et lene ingenium in praeclaris sententiis, quibus vitam humanam ornavit, aeque apparet atque in dulci dictionis sono, qui legentem facillime capit et delenit. Est quaedam simplicitas ubique obvia, non facta sed nata, et cum virtutis studio nexa et coniuncta. Doleo quod haec paucis modo attingere possum, quae disquisitione accuratiore digna sunt, quia viri ingenium clare demonstrant. Restat autem, quod praeterire nequeo. Iure enim laudatur via et ratio disputandi Socratis a Xenophonte, qui nec vim eius et naturam ignoravit[30]), et plurima eius exempla proposuit. At quum sermonum Socraticorum duplex sit genus, quum aut aliquos refellere et castigare, aut suos docere vellet[31]), in Xenophonte hoc posterius praevalet, quod et indoli ipsius et studio aptissimum est. Raro enim Socrates in opinionibus aliorum refutandis aut in superbia reprimenda apud nostrum versatur, ut in disputationibus cum Antiphonte, Hippia, Aristippo, Glaucone Aristonis filio et Euthydemo[32]); contra plurima pars sermonum in docendo consumitur, in quibus virtutis rationes explicat. Id quoque amabile Xenophontis ingenium prodit, qui licet multis disputationibus cum adversariis institutis interfuisset, tamen quoniam nonnisi ipse melior reddi et alios meliores reddere cupiebat, via leniore progredi maluit; longe a Critia et Alcibiade diversus, qui alios refellendi artem discere et per eam in civitate summos honores nancisci gestiebant[33]).

Totius autem operis conformatio qualis sit, hac in quaestione non est praetereundum. Quatuor libri, quales nunc circumferuntur, ita compositi sunt, ut unum opus efficere videantur. Sicut enim exordium ab accusatione ultima et nece Socratis factum est, isque ibi defenditur et qualem in vita se gesserit describitur[34]): ita epilogus gloriosum honestumque Socratis exitum praeclare monstrat aptissimeque splendidissimum viri elogium adiungit, quo omnia, quae hucusque dicta erant, breviter et dilucide repetuntur[35]). Inter exordium autem et epilogum longa est sermonum series, quibus quam utilis Socrates suis sodalibus fuerit ostenditur, idque, nisi fallor, ita, ut primus et secundus liber arctius inter se cohaereant, quam tertius et quartus, qui suum uterque argumentum persequuntur. In Socratis enim vita quoniam duae imprimis virtutes prae ceteris fulgent, pietas erga deos et temperantia, id quod in

29) Brandis l. l. p. 120.
30) ib. p. 145.
31) Memorab. I, 4, 1.
32) ib. I, 6. II, 1. III, 6. III, 8. IV, 2, 4.
33) ib. I, 2, 16.
34) ib. I. c. 1—3.
35) ib. IV, 8.

primi libri tertio capite demonstratum est, has easdem eum facit in proximis sermonibus sodalibus suis commendantem et contra adversarium defendentem. Nam quod virtutis caussa omnem et iactantiam capite septimo tollendam esse docet, eodem pertinet: neque alio trahendum est, quod primo capite libri secundi voluptatem impugnat, vitam laboriosam commendat, et Prodico duce virtutem praeclaro praeconio extollit. Haec igitur prima est pars sermonum, quibus accedit altera pars, quae novem capitibus libri secundi continetur, ad iustitiam pertinet et consanguinitatis amicitiaeque leges explicat nec minus ipsius praeceptoris vitam, quam commercium cum sodalibus celebrat. Quae hac in parte dicta sunt, omnium sunt hominum officia; sequuntur in tertio libro, quae ad diversas artes et disciplinas spectant, quibus singuli homines operam navant. Iuvat igitur Socrates eos, qui in civitate honores et munera aucupantur, qui artem disserendi aliosque refellendi tractant, qui domos aedificant, artifices, meretricem, et plura dat consilia, quae ad artem medicam, gymnasticam vitamque communem pertinent. Hac ratione ostenderat sese in rebus omnibus et omni modo utilem[36]). Hoc loco aptissime inseri potuisset Oeconomicus, quo in libello eum instituit, qui agriculturae arti praestantissimae operam dare cupit.

Liber quartus hoc habet peculiare, quod uno capite excepto, quo Hippiam refellit, solo cum Euthydemo Socrates colloquitur et certam quandam viam ingreditur. Agit igitur Xenophon de arte, qua adolescentes sensim ad altiora ducere Socr., institutionis necessitatem demonstrare, ad cognitionem sui, ad pietatem erga deos, iustitiam, temperantiam instigare, artem disserendi docere et de diversis artibus ac disciplinis iudicare solitus fuerit. Via igitur longe breviore paene eadem omnia hoc in libro iterum tractavit et additamentis multis instruxit, quae iam in tribus primis libris attigerat. His denique Convivium adiungitur, in quo Socrates hominibus laetis interest iocisque serendis se non subtrahit; nec apud Xenophontem minus lubenter iocantem Socratem, quam de rebus severis disserentem auscultamus.

Itaque quamquam universe non recte plerumque negatum est, in toto libro in ordinem digerendo sibi constitisse Xenophontem, concedendum tamen est, in singulis haud raro reperiri, quae legenti molestae sint repetitiones earundem rerum. Socrates enim, quum nihil nisi virtutem, quae in vita apparet, celebrare soleat, eamque intimo ex pectore amaverit, est eloquentissimus per totumque librum unam eandem rem cum diversis hominibus agitat, nec potest nisi ad easdem sententias saepissime redire. Augetur autem numerus repetitionum operis conformatione. Quae enim in libri primi duobus primis capitibus, ea iam in tertio capite ex parte iterum legimus; quae in sequentibus eiusdem libri capitibus enarrantur, eadem in quarto explicantur. Non multum iuvant, quae ad transitum parandum a Xenophonte addun-

---

36) ib. IV, 1. 1. *ἐν παντὶ πράγματι καὶ πάντα τρόπον ὠφέλιμον.*

tur, quae pleraque cursum orationis non satis dilucide ostendunt, ut legenti et certam viam quaerenti haud raro difficultates haud exiguae oboriantur.

Iam rei ipsius, quam prodidit, ad delineationem brevem et ad iudicium accedendum est. Ac de vita quidem virtute ornanda nemo mortalium neque pulchrius, neque praeclarius unquam quam Xenophon locutus est; a labiis Socratis pendemus; nihil esse prudentius neque utilius, nisi honesto totum se tradere, ita docemur, ut qui contra disserere velit, frustra causas aliquas conquirat; ars Socratis animos hominum sibi conciliandi suumque omnium rerum honestarum amorem instillandi, ita nobis patet, ut animum nostrum prorsus esse captum sentiamus, neque ei resistere quisquam aut repugnare aut possit, aut si possit, velit. Modo est dulce genus dicendi, verborumque sonus iucundissimus, modo virtutis nomen et imago, modo Socratis persona, modo caussarum multitudo et pondus; ubique sancta est quaedam animi commotio, quae ab omni turpi cogitatione et facinore nos removet; qua capimur et delenimur. Quicunque igitur, quam amabile sit studium virtutis, quam imprudens et perversum voluptatis consortium, scire cupit simulque Xenophontis amorem imbibere optat, hunc adeat librum; sed ut iam dicam, quod sentio: Socratem non totum, sed ex parte tantummodo cognoscas, nec ita ut huic quidem imagini inhaerere queas.

Neque est hoc Xenophonti vitio vertendum, qui vitae habuit exemplum Socratem, virique huius summi in virtute amanda aemulator fuit, eundem vero in intimos philosophiae recessus abeuntem sequi noluit. Philosophiae studium cuius non vitam totam animique omnes vires complectitur, is haud multum perficiet. Si quae artium humanarum, haec una, ubi magni quidquam praestare cupias ingeniique summi expers haud fueris, postulat, ut in ea totus vivas neque praeter eam quidquam admireris et magni facias. Quaecunque igitur in philosophia et omnino in maximis studiis istis praeclara et eximia exstitere, ea Socrates, Plato, Aristoteles omnia summo fervore complexi sunt; uni Socrati Xenophon operam dedit, eique non per totam vitam, sed maxime seniori. Non solum enim hoc ex toto opere colligitur, in quo de Alcibiade quidem et Critia nihil refertur, cui ipse Xenophon interfuerit, multa de Euthero et Pericle iuniore aliisque, qui iam iis vivebant [37]) temporibus, quibus belli mala Atheniensium cives opprimebant: sed etiam ex Aristotele, qui ubi de Socrate sene loquitur, Xenophontis potissimum videtur aliorumque ei aequalium discipulorum meminisse [38]). Deest igitur Xenophonti, ut ex libris eius patet, accurata reliquorum philosophorum cognitio, quae ad res singulorum recte aestimandas necessario requiritur. Nihil enim quidquam habet, quod cum Socratis sapientia conferre possit. Ut

---

37) Memorab. III. 5. et II. 5. coll. cum Conv. 4, 31. Krueger histor. phil. Studien II. p. 290. Schneider ad Mem. III. 6.

38) cf. Aristot. Eth. Eudem. 7, 1. Magn. Mor. II. 6. cf. Met. VI. (VII) 11. Brandis I. pag. 125. Ita enim credo hanc rem explicandam esse.

brevi repetam, multarum rerum caussa discipuli Socratis disciplinae interfuerunt: vitae et virtutis causa Xenophon et quos ipse amicos nominavit [39]), artis dialecticae causa Critias et Alcibiades; philosophiae vero Plato et Aristippus aliique nonnulli et quamquam prorsus sunt inter se diversi omnes, nemo tamen a Socrate discessit, nisi iis rebus ornatus, quas ex usu illius et commercio expetiverat.

Neque id fugit Xenophontem, qui admirandam rerum cognitarum varietatem, quam Socrates senex prae se ferebat, rectissime monstravit, docuitque clarissime, quam praeclarum ille in commercio cum hominibus omnis generis et in adolescentibus tractandis artificem sese praestiterit. Ipse earum rerum est particeps factus; de omnibus loquitur, sed ita, ut initia tantummodo attigerit, nihil plene ac perfecte ad finem usque pertractaverit. Qui si rerum tractatarum pondus totum percepisset, fortasse nec consilium omnia simul ostendendi cepisset, nec paucis libris voluisset ingenii sapientiaeque Socratis imaginem absolutam delineare. Quid autem effecerit, docet eventus.

Compara mihi Platonem, compara Aristotelem, et quale sit inter hos et Xenophontem discrimen, clarissime patebit. Nihil est apud hunc, quod perfectum, quod absolutum dicas, multa coepit, multorum primas lineas posuit; neque quidquam ita enuntiavit, ut in iis acquiescere queas. Quas Socratis definitiones nobiscum communicavit [40]), quam parum illae arti dialecticae conveniunt, quam breviter, minus distincte, sine disputatione proferuntur! quam parum demonstrantur, quaeruntur coniunctis viribus, ita docentur, ut firmatum te videas et contra dubitationes munitum. Nihil ille nisi exempla sapientiae Socraticae proposuit. Haec qui legit, non cogitur, ut Socratem virum summum putet fuisse, qui nova fundamenta philosophiae struxerit, et nova luce homines collustraverit. Ac ne defendere quidem [41]) praeceptorem contra accusatores, ut par erat, potuit, nec abolevit omnia, quae contra eum dicta erant, sed nonnulla praetermisit, nec quibus rebus ea inniterentur, satis explicavit. At iam gradum sistere praestat et de reliquis ad Dissenium, Schleiermacherum et Brandisium provocare, qui quae enarrarunt, verissime mihi videntur exposuisse, ita ut paene nihil eorum iure ab aliis reprehensum aut refutatum esse videatur [42]). Ad doctrinam de moribus omnia pertinent, quae Xenophon tradidit; reliqua paene intacta reliquit. Errant igitur, qui e Xenophonte solo Socratem cognoscere se posse, censent. Hic vir, qualis et quantus fuerit, nemo ne suspicari quidem

---

39) Mem. I. 2. 48.

40) Mem. III. 8. IV. 6.

41) Schneid. ad Mem. I. 1, 10. nec tamen callide respondet.

42) Non consentio igitur cum Kuehnero, comment. de Socr. p. 11. qui neque (p. 29.) de tempore, quo hi commentarii conscripti esse videantur, recte iudicat, ut puto. Legendi vero Schleiermacher in Commentt. Academm. Berolinens. 1814—15. p. 50. sqq. Dissenius de philos. morali in Xen. de Socr. commentt. Gott. 1812. Brandis Grundlinien, Rhein. Mus. 1827. I. 118—150, 1828. II. 1. p. 85—112.

potest, nisi qui tota temporis istius indole et natura recte cognita, postquam in philosophorum penetralia intravit, legit omnia et perquisivit, quae Plato, Aristoteles, Xenophon, quae Aristophanes et reliqui poëtae comici, quae ceteri harum rerum auctores exposuerunt. His vero mysteriis qui non fuerit initiatus, caveat, ne nefarium facinus admittat et impuris manibus reliquiis sanctissimis viri eximii illudat. Xenophonti vero gratiam summam habemus, quippe qui inter paucos unus, quid ipsa in vita Socrates praestiterit, quaque ratione homines omnis generis meliores reddere instituerit luculento exemplo docuit; neque hac in re ab ullo mortalium superari sese passus est.

Iam vero tempus venerat, quo Xenophon Socratis consortio relicto, ad summam in bellis gerendis extollebatur virtutem mediumque in vitae splendorem rapiebatur. Quod quidem tanta cupiditate suscepit, Proxeni quoque amicitia seductus, ut neque Socratis praeceptis satis pareret, neque patriae urbis memor esset. Probari quidem, quod fecit, non potest, neque ipse sibi alicuius culpae non erat conscius. Neque enim deos ita, ut par erat, consuluerat, neque legibus civitatis satisfecerat. [43]) Quamquam enim initio non sciebat, quid Cyrus moliretur, tamen non a partibus Atheniensium sed Lacedaemoniorum illum stare, id profecto eum non fugerat. Nec tamen sine deorum auxilio, nec sine felici exitu rem perfecit; quaeque proximis his annis egit, ad ea reliquorum librorum pars maxima pertinet. Enarravit enim in Anabasi, quae in Asia cum exercitu mercenario gesserat, in historia Graeca res Agesilai proposuit, quibus postea interfuit; denique ad Cyri institutionem scribendam Persarum regni ductus est cognitione, quam in ipso bello Asiatico sibi paraverat.

Non est, quod demonstrem, quam praeclarum opus sit Xenophontis Anabasis, quem librum omnes, qui hunc scriptorem attigerunt, ab antiquissima usque ad recentissimam hanc aetatem jure admiratos esse constat. Neque quisquam poterit summo sine gaudio iter istud Xenophonte duce cognoscere. Ac bene illud instituit, quod primis duobus libris, quibus sequentia praeparavit, sui fere nusquam meminit. Nam rebus gerendis aderat quidem, sed sine imperio. Satis habuit igitur Cyri virtutes, vivendi rationem, pugnam, mortem, Graecorum victoriam imperatorum cladem miserrimam, reliquorum desperationem, summa simplicitate et arte tam praeclare describere, ut omnia nostris oculis spectare nobis videamur. Sed quinque libri posteriores in duas partes dividuntur, quarum prior duobus in libris iter ad mare, posterior in libris tribus reliqua continet [44]), donec exercitus Thimbroni Spartano

43) Anab. III. 2. sqq.

44) Quod Mureti consilio Schneiderus admisit, ut libri quinti et sexti ambitum mutaret, equidem non probaverim; miror, posteriores editores omnes eius exemplum sequutos esse. Nam 1. ne ita quidem ad initium rei hoc loco, ut alibi, lector revocatur, 2. librorum aequalitas tollitur, 3. quintus et sextus liber ita suo argumento cohaerent, ut unam partem per se efficiant, iter *μέχρις ἔξω τοῦ στόματος* VII. 11. quam quidem in duo volumina nonnisi propter ambitum rerum traditarum divisam esse credibile est.

traditus fuerit. At vero utraque quidem pars propterea et iucundissima et praeclarissima videtur, quia nobis virum ostendit, qui prudentissimum sese et in rerum conditione perspicienda et in hominibus tractandis et in rebus militaribus procurandis gerit summamque simul fortitudinem, temperantiam et in deos pietatem exhibet. Ille enim simulatque a diis ipsis, ut sibi videbatur, excitatus, rerum gerendarum consilium cepit, id quod qua ratione factum sit, pulcherrime enarravit, pugnantem eum modo cum hostibus videmus et admiramur, modo cum regionum annique tempestatum periculis, modo cum fame multisque aliis angustiis ex itinere natis, saepius vero cum militibus suis, haud raro tam perversis, ut ultro interire voluisse videantur. In ultimis vero libris, tam misera proditur omnium rerum conditio, ut Xenophontem fere unum sanae mentis hominem in toto exercitu fuisse evincatur. Tota vero tum expeditio ut Xenophontis, ita Socratis laudem auget et amplificat, quum hujus consiliis Xenophon deos coluerit, optimum sese omnium, fortissimum, prudentissimum, modestissimum praebuerit, pericula nulla fugerit, labores omnes pertulerit, modo lenibus, modo severis verbis, modo serio, modo iocando milites gubernaverit et vel stolidissimos et pertinacissimos sapientia et eloquentia sua ad rationem reduxerit. Neminem haec nisi Xenophontem scribere potuisse, Kruegerus; in describendis regionibus rebusque externis a vero interdum aberrasse aut non satis accurate singula memoria retinuisse, nuper Kochius ita demonstraverunt, ut dubitationi nullus locus relictus sit. 45)

De exercituum mercenariorum fatis aliud simile exemplum non exstat; hi vero quae effecerant, toti Graeciae salutaria erant, quae qualis 46) Persarum regni status esset, ex hac expeditione primum didicit. Nihil magni enim timendum ei esse, qui ipsam adversariorum sedem animo audaci aggredi ausurus esset, jam constabat.

Non diu postquam haec ad finem perducta erant, Lacedaemonii Agesilao rege, Lysandro suasore 47), belli contra Persas suscipiendi consilium ceperunt. In quo gerendo quae fuerit sententia Agesilai, quum ipse sese in Asiam conferret, et sacra ostendunt in Aulide ex Agamemnonis instituta imitatione et magnus rei apparatus et belli ratio. Sed res aliter cecidit, quam illi speraverant. Patet autem Xenophontis ipsius ex testimonio, eum simul cum rege Asiam reliquisse et pugnae ad Coroneam interfuisse. Sed si negare non potuimus, primum illud peccatum fuisse, quod ad Cyrum se contulit: patet hoc secundum fuisse, nec tam quod cum Lacedaemoniis iterum bellum contra Persas gessit, quam quod quum is a patria revocaretur, illum non reliquit, sed ad pugnandum cum ipso in Graeciam rediit.

---

45) Krueger de Anabaseos authentia. 1823. Koch der Zug der Zehntausend. 1850.

46) Hellen. III. 14, 2. Isocr. Paneg. §. 144. 146.

47) Ib. 9, 3.

48) Ib. V. 3, 6.

Vix credi potest, eundem virum honestissimum, qui Agesilaum regem propterea admirandum esse vidit, quod patria revocante legibus paruerit, ipsum tam parum similiter egisse, ut ab iis, qui arma patriae inferrent, adiuvandis non abstineret. 49) Scimus quidem, alienatum fuisse a patria urbe eius animum, quippe cuius mores in dies celerius ad perniciem ruere viderentur; scimus, illum eo tempore iam de Socrate praeter ius fasque occiso nuntium accepisse, quo facinore Athenienses virtutem ipsam ex finibus suis exterminasse videri poterant; novimus eius admirationem disciplinae Laconicae, quam ab adolescentia prima, Socratis etiam ex sermonibus, imbiberat; agnoscimus, Agesilaum virum egregium fuisse, cuius mores Xenophontis animum capere eique amicitiam instillare poterant; nec ignoramus, ipsam rerum conditionem Xenophontem eo ducere potuisse, ut simul cum copiis mercenariis, quorum dux et servator fuerat, ad Lacedaemonios se conferret. Sed licet haec omnia verissima sint, tamen, quod fecit, nemo iure aut defenderit, aut excusarit. Debebat ille patriae animo promptissimo obedire, et ab hostibus eius sese removere. Quod quum non fecerit, Alcibiadi non est prorsus dissimilis, qui iniuria Athenis expulsus Lacedaemonem sese contulerat et contra patriam multa machinatus fuerat. Una reliqua est excusatio, quod hanc quoque rem, si ex reliquis omnibus colligimus, non sine diis suscepisse putandus est; sed, ea talis est, ut ipsa haec doctrina a facinore eum revocare potuisset. Nam his quidem in rebus ratio humana deorum auxilio non egebat, quae contra patriam non debere quemquam aliquid suscipere, clare docet. Honestius profecto viroque pio et iusto dignius fuisset, in exsilio mori, quam a Lacedaemoniorum stare partibus et contra Atheniensium copias pugnare. Nec tamen duris reprehensionibus propterea in Xenophontem increpare decet. Sunt enim errores nostri duplicis generis. Etenim aut animi levitati debentur, quae temerario impetu in mala consilia ruit; aut ab invitis admittuntur, qui quanquam toto pectore honestissimi esse cupiunt, studiose res divinas tractant et naturae humanae inconstantiam impugnant, tamen interdum non satis a vitiis cavent. Horum posterioribus adnumero Xenophontem, qui virtutis causa, quam apud Lacedaemonios magis atque apud Athenienses reperire sibi videbatur, horum in castra eo tempore transire ausus est, quo contra Athenienses pugnabant. Quod nollem factum esse. Nunc enim Agesilai res gestas eleganter ab ipso descriptas non sine animi motu quodam perlegimus. At fuit ista illorum temporum infelicitas, quod licet viri vere magni non pauci existerent, ut nemo tamen neque Athenis, neque Lacedaemone, neque Thebis inveniretur, quin sua quoque ad interitum rerum Graecarum accelerandum conferret. Nec excipere equidem Socratem, neque Demosthenem audeo. Consolatur autem hoc unum, quod divino consilio longe meliora moliente saecula, postquam

---

49) Hellen. IV. 3, 15.

Graeca gens fata sua expleverat, corruebant omnia, nimirum ut novus ordo rerum nasceretur.[50])

Transeo ad tertiam vitae Xenophontis partem. Finis enim iam appropinquaverat rerum gloriose et vero cum fructu animi gerendarum et Xenophonti et Agesilao. Si vera Xenophon narravit[51]), Pharnabazo quidem et Tissapherni Agesilaus felici successu arma intulerat, sed occiso Tissapherne et Tithrauste Sardes misso, huius insidiis reprimi sese passus est. Debebat enim non pecunia accepta contra Pharnabazum pugnare, quem iam saepe superaverat, sed adversarium callidiorem armis petere; quod si fecisset, Tithraustes suos in Graeciam mittere Graecosque pecunia corrumpere minus facile potuisset. Iam ubi reversi erant in patriam, quo tempore Agesilaus civium suorum felicitatem labantem frustra fulcire conabatur, suasque et patriae vires in rebus non vere honestis profundebat, eodem Xenophon Lacedaemoniorum beneficio sedem in Scillunte nactus, otio sibi concesso ita fruebatur, ut filios educaret, novis religionibus condendis operam daret, temporis historiam scriberet et plures libros ederet, in quibus Graecis optima quaeque praecipere conabatur. Nam usque ad mortem par sibi ille et aequalis mansit, nec ob temporis calamitatem viam, quam semel ingressus erat, reliquit. Sed magnam per vitae partem quae gesta fuerint, in historia Graeca enarravit, quam Thucydidis libris adiungere ausus erat, ita tamen ut normam legemque scribendi longe diversam sibi proponeret. Simul vero in Agesilai honorem praeter ea, quae in historia leguntur, peculiarem scripsisse dicitur laudationem. Iam quum uterque liber nostra aetate viros doctos vehementer agitaverit, nos quidem quaestionibus de libro maiore nunc missis, quibus brevis commentationis spatio satisfacere non licet, de solo Agesilao quae nostra sententia sit, pluribus explicabimus.

Ac poterat profecto laudatio Agesilai exspectari a Xenophonte nostro, qui per totam vitam, ut semper fidissimus fuit eorum, quos semel diligere coeperat, amicus, regem istum maximi fecerat. Ea vero quae hodie exstat, a plurimis veterum, ut a Cicerone, Nepote Cornelio, Dionysio Halicarn., Plutarcho, Aristide, aliis, saepe nec sine laude commemoratur. Quam si legis, Xenophonteam dicendi et iudicandi rationem, virtutis amorem, totamque indolem viri ac naturam, et ut brevi dicam, omnia, quae in reliquis Xenophontis libris propria et peculiaria animadvertuntur, non frustra quaeras. Tanta sane est similitudo inter hunc libellum et reliquos, quos Xenophon edidit, ut primo adspectu vix quisquam de Xenophonte

50) Quanti momenti Lacedaemoniis fuerint copiae ex expeditione Cyri reduces, per se patet. Isocr. in Paneg. §. 144. *Ἀγησίλαος δὲ τοῦ Κύρου στρατεύματι χρώμενος μικροῦ δεῖν τῆς ἐντὸς Ἅλυος χώρας ἐκράτησεν.* In pugna ap. Coroneam hi primi impetum fecisse dicuntur. Hellen. IV. 3. 17.

51) Nam Ed. Cauer, quaestionum de fontibus ad Agesilai historiam pertinentibus, parte priori, 1847. p. 12. et 90. sqq. ex Diodoro colligit: belli Graeci caussas in Lacedaemoniis et Lysandro magis, quam in Thebanis a Tithrauste corruptis quaerendas esse.

auctore dubitare possit. At quicunque ad singula accuratius animum adverterit, plurimas nasci videbit, quae vix tolli posse videantur, difficultates.

Duas enim scriptor laudationis partes esse voluit, quarum in priore res ab Agesilao gestas, in posteriore viri virtutes enarrandas esse existimavit. Nihil ipse de fontibus, unde sua acceperit, enarrat. Sed in parte priore ex Xenophontis historia Graeca plurima ad verbum descripsisse, multa ibi relata corrupisse, addidisse pauca, nonnulla immerito praetermisisse, omnia rhetorice exornasse facile deprehenditur. Iam quid de scriptore dicamus, qui si laudationem viri alicuius scribere conatur, satis esse putat, eadem repetere, quae in communi omnium Graecorum historia dixerat? Tam parum igitur ille discrimen, quod est inter historiam populorum singulorumque hominum vitam, noverat, ut in utroque opere eadem dici posse opinaretur? Nihil quidquam in libro maiore praetermiserat, quo in laudatione melius uti potuisset? Tam parum erat in arte dicendi exercitatus, ut a verbis iisdem usurpandis, ubi ipsius vitae res referendae erant, abstinere non posset? Tam parum, quum de rebus Agesilai, viri aestumatissimi enarrare vellet, memoriae suae confisus est, ut ad ea, quae antea scripserat, refugere cogeretur? Erat quidem, ut vidimus, a Xenophontis consuetudine non alienum, sententiis iisdem inhaerere: sed ipsa verba eaque tam multa et de rebus gestis eum repetiturum fuisse, equidem vix mihi persuadere possum, eoque minus, si quo modo id factum sit, considero. Nonne enim mirum est, quod non res solum ipsas iisdem verbis retulit, sed etiam quae in historia praefatus erat, ut transitum sibi pararet, eadem repetiit; id quod in pugna ad Coroneam describenda factum est [52]). Praeterea quamquam in priore parte res gestas referre, in posteriore virtutes animi enarrare sibi proposuerat, tamen in illa etiam a viri laudibus exaggerandis numquam abstinuit, quaeque in historia Graeca iam dixerat, iteravit [53]).

Sed haec parva sunt et excusari quodammodo possunt, si cum aliis rebus comparantur, multo magis reprehendendis. Quae enim in historia Graeca referuntur, in Agesilao haud raro corrupta sunt et pessumdata. Ita statim ab initio quae de ratione narrantur, qua Agesilaus regiam dignitatem nactus fuerit, prorsus inversa sunt. Si enim in Agesilao inde colligitur, Agesilaum iam priusquam rex factus sit virtute inter suos eminuisse; in historia Graeca de virtute quidem nullus sermo est, sed ut par erat, totum inter Leotychidem et Agesilaum certamen inde ortum esse dicitur, quod alter ille non Agidis, sed Alcibiadis putabatur esse filius. Non miramur, quod Agesilaum claudum fuisse et propterea a nonnullis recusatum esse, in Agesilao reticetur, nec nisi paucis et obscure, quae de viri corpore nota erant, significantur [54]).

52) Ait enim utroque in libro: *„διηγήσομαι δὲ τὴν μάχην· καὶ γὰρ ἐγένετο, οἵαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν.* Ages. II. §. 9. Hellen IV. 3, 8. etiam iudicio eodem proposito, licet tempora posteriora illud mutare potuerint.

53) Ages. I. §. 12. Cauer l. l. p. 24.

54) ib. VII. 1.

Sed simul Lysandri in Agesilao eligendo partes praecipuas fuisse, in hac laudatione nusquam legimus, quippe cuius ne nomen quidem commemoratum sit, quamquam si optimorum virorum plausu regem usum esse dicit, vix poterat scriptor maiore iure quemquam, quam Lysandrum, Atheniensium victorem, cogitare. Denique Xenophontem non fugit, quod hic scriptor dissimulavit, virtutis caussa Spartae reges eligi solitos non esse. Deinde ubi Asiatici belli caussae enarrantur, in historia Graeca legimus, ob classem a Persis paratam suasu Lysandri Agesilaum in Asiam profectum esse Persisque bellum intulisse; in Agesilao, quod ipsis rebus postea gestis refutatur, classi etiam copiae pedestres adiiciuntur[55]. Ibi quae expeditio Persis in animo fuerit, qui nuntium affert, nescire se fatetur; apud hunc ea certis verbis Graecis infertur, non Lacedaemoniis; denique a laudatore uni Agesilao adscribuntur, quae in historia Graeca Lysandri fuerunt, ut hic aperte sua laude fraudetur[56]. — Postquam primus annus praeterierat, ex quo Asiam Agesilaus venerat, triginta Spartiatae nobiles cum Lycurgo domum navigasse, aliique cum Herippida eorum occupasse locum narrantur, quibus suo imperio instructis Agesilaus edixerit, statim se optimas regiones Persarum armis petiturum esse. In Agesilao priora omnino non commemorantur, nec ducibus edicta, sed militibus, quod multo minus aptum est, enuntiantur[57]. — Postea ubi ad pugnam Coroneensem enarrandam transitur, res in utroque libro iisdem verbis proditur, donec Agesilaus ad fines Boeotorum venerit. Iam quoniam in historia Graeca nonnulla narrantur, quae Agesilai laudator nescimus qua de caussa praetereunda putavit, ibi quidem omnia recte procedunt, apud hunc vero rex Lacedaemoniorum, fines Boeotorum nondum supergressus, tamen statim adversarios sibi oppositos habet et ad pugnam se accingit[58]. — Denique in historia Graeca bellum contra Argivos Lacedaemonii suscipiunt, quorum copiis Agesilaus praeficitur; apud hunc uni Agesilao traduntur omnia, qui ipse felicitatem Argivorum animadvertisse et turbasse dicitur[59]. Alia huius generis praetereo.

Addita sunt admodum pauca, eaque partim ita comparata, ut magnam admirationem moveant, partim parum utilia. Quid enim commodi ex laudibus hauriae, quibus ab initio genus Agesilai et urbem patriam exornavit[60]? Nam genus quidem Heraclidarum omnibus notum erat, nec praeconio ullo egebat, sed quo tempore Agesilaus et quibus parentibus natus fuerit, qua ratione primis vitae annis et per adolescentiam vixerit, quibus virtutibus potissimum inter suos excelluerit, id quidem

---

55) *πεζὸν πολὺ στράτευμα* I. 6. Hellen. III. 4, 1.

56) De invidiae inter Lysandrum et Agesilaum agitatae caussis, praeter Xenophontem, Plutarchum Ages. 8. Lys. 23, Diodorum, Aristoteles audiendus est. Polit. V. 7.

57) Ages. I. §. 28. Hellen. III. 4, 20.

58) Ages. II. 5. Hellen. IV. 3, 10: „*Ἐνταῦθα*“ laudator addidit, quod quid sibi velit, non patet.

59) Ages. II. 17. Hellen. IV. 5, 19.

60) Ages. I. 2—4.

scire cupimus omnes[61]). Splendidam autem istam Spartae laudationem vix scribere poterat Xenophon, postquam urbs ab Epaminonda debellata nec gloriose ab Agesilao defensa erat[62]), et veterem vitae consuetudinem multis in rebus abiecerat. Inutilis deinde rhetorica ista exaggeratio est expeditionis in Asiam susceptae[63]), quam qui scripsit, non Lysandri solum, ut vidimus, sed Cimonis etiam et Atheniensium, qui iam dudum bellum in Asiam transtulerant, merita minuere conatur[64]). Idem fere dici potest de laudationibus rerum gestarum[65]), quae multo melius ex ipsa narratione intelliguntur, quam a laudatore disertis verbis praedicantur.

At concedamus necesse est, nonnulla addita reperiri, quibus non sine damno careremus[66]). Nec iam talia mihi in mentem veniunt, quale est, quod trimestres ait inducias cum Tissapherne factas, et uno mense iter in Boeotiam confectum esse[67]), sed plura insunt, quae vix in historia Graeca omitti poterant. Deberi enim iam Schneiderus recte censuit, lacunas in maiore opere conspicuas ex minore suppleri[68]). Non aliter quae de urbibus dicuntur equos alentibus, quibus imperatum est, ut equos et equites mitterent, in historia Graeca deesse non debebant, ut ea excidisse verosimile sit[69]). Mirum deinde, quod quum de camelis in Graeciam abductis nihil in Agesilao legatur, contra eodem loco alia ibi inserta sunt, quae non minus totius rerum nexus causa in historia Graeca necessaria videri possunt[70]). Maxime autem inter omnia animum advertit, quod in pugnae apud Coroneam descriptione factum est. Repetita enim sunt pleraque, sed inserta nonnulla, quae singula digna sunt, quae afferantur. Sunt autem haec: „*Εὗρον δὲ τάς τε φάλαγγας ἀλλήλων μάλα ἰσομάχους, σχεδὸν δὲ καὶ οἱ ἱππεῖς ἦσαν ἑκατέρων ἰσοπλήθεις.*“ — „*ἦσαν δ' οὗτοι τῶν τε οἴκοθεν αὐτῷ συστρατευσαμένων καὶ τῶν Κυρείων τινές.*“ — *Καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή, φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν.* — *πάντοσε καὶ παντοίοις ὅπλοις* — *καὶ προπέμψαι ἐπέταξε τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ἱππέας, ὥστε ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἐγένοντο. Ἐπεί γε μὴν ἔληξεν ἡ μάχη, παρῆν δὴ θεάσασθαι, ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κολεῶν*

61) cf. Plut. Ages. 19. de Dicaearcho.

62) „*ὥστε οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν, ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν.*“

63) Ages. I. 8.

64) De Atheniensibus similia ac iure quidem in Plat. Menexeno cap. 12.

65) Ages. I. 8, 12, 17—22 et alibi.

66) Verum quidem est, quod Cauerus ostendit. l. l. p. 14 seq., pleraque, quae in Agesilao reperiantur, alibi quoque commemorata esse, sed, quoniam ea ex hoc libello hausta sunt, eius pretium non minuunt sed augent.

67) Ages. I. 10 (cf. Polyaen. II. 1, 9). II, 1.

68) Hellen. III. 4, 12 verba „*ἀπαντώσας δυνάμεις ἀναλαμβάνων ἦγεν*“ esse addenda.

69) Ages. I, 24. Hellen. III. 4, 15, 16; cfr. IV. 2, 5.

70) Ages. I. §. 33 et Hellen. 3, 4, 24.

τὰ μὲν χαμαὶ τὰ δ' ἐν σώμασι, τὰ δ' ἔτι κατὰ χεῖρας. — συνελιξάντες τοὺς τῶν πολεμίων νεκροὺς εἴσω φάλαγγος[71]).

Haec quoniam ab oculorum teste scripta esse apparet, primo quidem adspectu efficiunt, ut consilium aliquod, cur antea omissa, nunc adiecta sint, suspicemur. Atqui ego hoc affirmaverim, ita demum, ut in Agesilao pugna descripta est, veram Xenophontis manum agnosci. Quoniam autem nihil omnino est, quod non ab eodem proficisci potuisset, qui historiam Graecorum condidit: discerpta haec membra esse eiusdem scriptoris putaverim. Non integram autem historiam Graecorum aetatem tulisse, iam saepe multis ex indiciis critici aestimarunt. Fortasse ad sententiam confirmandam conferre aliquid potest haec Agesilai comparatio. Id unum certe non tanti esse momenti puto, ut propterea totius libelli auctorem Xenophontem habere cogamur.

Longe plura autem, quam addidit, scriptor praetermisit, quae cur abiecerit, si non sit a Xenophonte diversus, me non intelligere fateor. Non ego res dico, quae minus gloriosae sunt, ut certamen cum Lysandro, qui generosum sese et nobilem amicum regi praestitit, sacra in Aulide suscepta et a Boeotis turbata, hostilem contra eosdem Agesilai animum, calamitates, quibus Gylis oppressus est, res in Heraeo gestas, iniuriam Phliasiis illatam, mirabile de Phoebida iudicium, similia eiusdem generis alia.[72]) Sed illud mirum est, quod tacuit de victoriis a Pharnabazo in Paphlagonia reportatis, de astutia regis et calliditate in occultanda Cononis victoria navali, de dolore eius, quum mortuus esset Agesipolis rex, qui ei adversatus fuerat, de matre eius felici praedicata, de Archidami filio.[73]) Quid enim impedivit eum, quominus, quae laudi esse poterant, adderet? Augetur autem rerum praetermissarum moles, si reliquos fontes consulimus. Cur enim praeter res in bello gestas nihil memoravit?[74]) cur ne de morte quidem certi aliquid tradidit? cur ex vita regis tam pauca nova nobiscum communicavit?

Denique more rhetorum nimio ornatu ita pleraque extulit, ut ubicumque a repetendis Xenophontis verbis abstinuerit, summo legentem afficiat taedio. Atque imprimis illud in posteriore parte libelli fecit, quae multis inutilibus rebus onerata, pauciora, quam optandum erat ex Agesilai vita, plurimos contra locos communes continet, qui, quoniam ab argumento alieni sunt, saepe displicent magis, quam delectant. Ubi vero vivendi rationem attigit, viri iudicium adeo haud raro desideramus. Etenim ubi pietatem eius splendida oratione laudat, tria affert testimonia ita compa-

---

71) Ages. II. §. 9, 11, 12, 13, 14.

72) Hellen. III. 4, 4. 7—10. IV. 1; 5, 11. V. 2. 8. 10, 32.

73) Ib. III. 4, 29. IV. 3, 2. V. 1, 1. 3. 20. 4, 25.

74) Cinadonis coniurationem, quam ab Agesilao superatam ait Hermannus Lehrb. d. Staatsalterth. §. 48, 10. p. 113. ephori soli videntur repressisse. Hellen. III. 3, 4.

rata, ut Spithridatem quidem, Cotyn, Pharnabazum, quos nominat, non Agesilaum re vera admirandum putes. Si enim rex Spartanorum fiduciam eorum fefellisset, deorum sese contemptorem probasset, et sanctissima violasset officia.[75]) Saepe iis, quae Lacedaemoniorum ex virtutibus aliter fieri non poterant, ad regis honorem augendum abusus est.[76]) Sed in priore quoque parte similia reperiuntur non pauca. Nam quae de generis urbisque patriae nobilitate praedicat, nihil nisi rhetorem probant[77]); ubi ostensurum se esse ait, priusquam ad regiam dignitatem accesserit, eum laude dignum fuisse, plura promisit, quam praestitit, quippe qui uno utatur eoque infirmissimo argumento.[78]) Nihil ille saepius, quam quod patriae legibus paruerit, ad coelum tollit.[79]) Patet autem Agesilaum patriae proditorem et summis poenis dignissimum hominem futurum fuisse, si tempore maxime periculoso suam potius gloriam, quam salutem patriae amplificare voluisset. Talia sunt tam multa, ut legenti cuivis ubique occurrant. Minore enim Socratem Xenophon, quam hic scriptor Agesilaum laude celebravit, quem audet virum ab omni parte perfectum et omnibus vitiis carentem appellaret.[80])

Nisi igitur egregie fallor, et Valckenarius recte iudicavit, qui firmissimis argumentis nisus, primus omnium hunc libellum Xenophontis ingenio indignum esse vidit[81]), et Eduardus Cauer, qui plenissime et accuratissime totam quaestionem tractavit, huius aliorumque[82]) virorum sagacissimorum sententiae subscripsit.[83]) Nam quis persuadere sibi possit, Xenophontem senem tot vitia, quot indicata sunt, admissurum fuisse. Ubique imitatoris manum detegimus. Is, ut in prima parte accurate singula ex historia Graeca colligere et pertractare, sed ne nimia libelli moles evaderet, postea breviora omnia reddere, ita posteriorem partem ex Xenophontis sententia componere voluit et propterea doctrinam eius de moribus imitatione expressit.[84]) Sed male rem totam administravit. Mutata enim erant, quum Agesilaus moreretur, tantum non omnia. Quae potentissima urbs fuerat et rerum Graecarum dominatrix, eiusdem vires nunc fractae et in omnia tempora erant debilitatae. Felicem nemo regem praedicare poterit, qui florem patriae summum, sed simul ruinam oculis con-

---

75) Ages. 2.
76) Huc traho, quae de domo regia dicuntur VIII. 7.
77) Ib. I. 1—3.
78) Ib. I. 5.
79) Ib. I. 36. 37. II. 16. ubi vice Schneid. VI. 4. VII. 2.
80) Ib. I. 1. X. 4. XI. 6.
81) Valck. ad Herodot. III. 134. IX. 27. Diatribe, in Euripid. perd. dram. reliq. p. 266. ad Memor. III. 3, 9.
82) Wyttenbachii, Fr. A. Wolfii, Bernhardyi Gr. Synt. p. 24.
83) Quaest. de fontt. Agesilai I. 1.
84) Heiland Prolegg. ad Ages. 1. 5. Weiske praef. p. 414.

spexerat, iisdemque in terris, in quibus olim armis omnes superaverat, ultimis vitae annis pecuniam colligere coactus erat; postremo vero peregrina in terra mortem obiit. Harum autem rerum omnium, quae Xenophontem non fugiebant, is, qui hanc laudationem conscripsit, omnino sibi conscius non fuit. Itaque quo modo ex Commentariis de Socrate Apologiam haustam esse vidimus, eodem ex historia Graeca Agesilaus ortus est, Xenophontis nomen ementitus.

Iisdem fere annis, quibus Xenophon historiam Graecam condidit, si recte omnia pensitantur, videtur Cyri institutionem scripsisse, qui liber nulli est ex tota antiquitate similis. Possis enim primo adspectu in usum Persarum scriptum eum putare, ut illi ob maiorum praestantiam ipsi quoque altiores spiritus sumerent, et virtutem antiquam aemularentur. Tantopere Cyri imaginem in alto collocatam sociosque eius ex Persarum numero, tanquam exempla moris optimi et verae in Deos pietatis propositos videmus. Nec vero Cyrus fuit, propter quem haec omnia enarranda suscepit; agitur potius de arte hominibus imperandi, in qua docenda Persarum rege celeberrimo Xenophon tanquam artificis vere eximii exemplo usus est. Huius artis summa dignitas tempore isto, quo Graecorum res maxime perturbatae erant, elucebat, eratque Xenophonti ob totam vitae cursum perspecta. Iuvenili enim aetate Socratem viderat, qui sine formae pulchritudine, sine divitiis, sine rebus omnibus, quae vulgares homines allicere solent, sola virtute et sapientia sua effecerat, ut plurimi ipsus amicitiam et sermones summo fervore requirerent. Eandem artem vir factus et ipse exercuerat et Cyri usus Agesilaique exemplis denuo cognoverat. Itaque hic liber certissime Xenophontem probat auctorem.

Ultimam autem partem, me iudice, non adiecit, quae toti operis consilio repugnat. Vellem etiam ea possem tamquam supposita Xenophonti tollere, quibus se rerum Persicarum tantum admiratorem praebet, ut adeo quae reprobanda et reiicienda esse quivis videt ea defendere susceperit. Totus enim liber octavus plurima continet, quae a Graecorum ingenio abhorrent commendarique non debebant. Sed non est a Xenophontis indole alienum, si quid amare et magni facere didicerat, etiam ea amplecti et probare, quae cum ipsius doctrina coniungi vix poterant.

Ob argumenti similitudinem Cyri disciplinae Hiero libellus adiungi poterit, qui qua ratione vita tyrannorum et iucundior et utilior esse possit enarrat. In hoc licet multa Xenophontea inveniri concedam, tamen eum esse ab illo re vera scriptum affirmare non audeo.

Nova lux Xenophontis vitae affulsit, cum rerum conditione mutata tam felix esset, ut Athenas revocaretur. Quo facto statim patriae utilitatem afferre summo studio conatus est. Quamqnam enim senectutis caussa, ad quam accesserat, rerum pro Atheniensium salute gerendarum ipse particeps esse non poterat: filios tamen suos misit, qui pro patria pugnarent et si deorum voluntas esset morerentur. Atque Gryllus quidem honestissime in proelio cecidit, eoque nuntio accepto veram

animi magnitudinem pater probavit. Simul vero libris editis commoda civibus suis parare quum ardentissime cuperet, de re equestri, de equitum magistri officio et de vectigalibus scripsit et plura consilia utilissima proposuit, quae indolem ac naturam eius qualis ab initio fuit, luculenter prae se ferunt.[85])

Duo autem imprimis, ut genuinos libros ab adulterinis dignoscamus, tenenda arbitror. Quoniam enim nihil quidquam ille composuit, nisi quod ex rebus vitae ipsus natum esset, neque a vivendi ratione duce Socrate inchoata usquam discessit: omnibus in libris res summae reperiantur necesse est, in deos pietas rerumque militarium artisque hominibus imperandi cognitio singularis.

Exstabant aliquando in agro Scilluntio, propter Ephesiae Dianae templum fidei eius et religionis teste, Xenophontis monumentum et statua. Nobis ea quidem erepta sunt: sed restat in libris vera virtutis eius imago, quae divino numine servata nomen eius ab oblivione et silentio serae etiam posteritatis vindicabit.

---

85) Libellus de Atheniensium republica numero Xenophonteorum cum Roschero et Boeckhio eximendum esse censeo. De republica Lacedaemoniorum libellus ab Haasio defensus, ita quidem ut circumfretur, a Xenophonte editus non est. Nec librum de venatione Xenophonteum esse contendo. cf. Boeckh. Staatshaush. d. Ath. I, 433. 777. sqq.

Berolini, Typis Hayniani̇s.